



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Decretvm XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

ac nonnunquam Religiosis , necessitatem mendicandi imponunt , nonnulli autem abutuntur ; hinc , ne illis misericordiae viscera claudantur , horum verò abusibus annuamus , repetimus , quæ in tertia Nostra Synodo , anno millesimo sexcentesimo trigesimo statuimus ; volumus præterea , ut personæ hujusmodi extraneæ , non aliter quam sub Nostro , aut sub Vicarii Nostri , intranei verò sub testimonio Parochi , admittantur .

DECRETVM XL.

CVm jurisdictionis Ecclesiasticae jugum , adversariorum potentia , aliquibus in locis excussum sit ; volumus tamen , inter Catholicos illibatum permanere . Vnde , sub poenis juris consuetis , feriò inhibemus , ne quis Clericus sive Laicus personam Ecclesiasticam , aut Ecclesia adscriptam , ad forum secularre trahere præsumat ; immo causæ omnes , ad forum Ecclesiasticum spectantes , non alibi , nec per viam appellationis quidem , tractentur , quam coram magistratu Ecclesiastico Catholico .

Clerici autem & Beneficiati , aliqui Ecclesiæ ministri , sive convenient alios in causis redditum sui beneficii , sive quounque modo convenientur , active & passim coram solo suo iudice Ecclesiastico (ex lege Capitulacionis & juris communis) forum sortiantur .

DECRETUM XLI.

CÆterum , ut Decreta hæc firmius observentur , & in praxin redigantur , tenentur omnes , in visitatione futura , de omnibus & singulis , quantum quenque concernunt , sub poenis arbitrii & censuris supradictis , respondere .

DECRETUM XLII.

EXaminatores singulis annis in Diœcesanâ Synodo , ab Episcopo vel ejus Vicario , ut minimum sex proponantur , qui Synodo satisfaciant , & ab ea probentur . Advenienteque vacatione cuiuslibet Ecclesia , tres ex illis . Episcopus constitutus , qui cum eo examen perficiant ; indeque succedente aliâ vacatione , aut eisdem aut aliis tres , quos maliuerit , ex illis prædictis sex eligat . sint verò hi Examinatores , Magistri seu Doctores , aut Licentiati in Theologia aut Iure Canonico , aut alii Clerici seu Regulares , qui ad id videbuntur magis idonei ; jurentque omnes , ad sancta Dei Euangelia , se , quacunque affectione humana postposita , fideliter munus executuros ; caveantque , ne quidquam prorsus occasione hujus examinis , nec ante nec post , accipiant ; alioquin Simoniæ vitium ,

tam ipsi , quam alii dantes , incurant , à quo absolvni nequeant , nisi dimissis beneficiis , quæ quomodocunque etiam ante obtinebant , ac ad alia in posterum inhabiles reddantur ; & de his omnibus non solum coram Deo , sed etiam Synodo Provinciali , si opus erit , rationem reddere teneantur ; à qua , si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit , graviter , ejus arbitrio , puniri possint . Tridentinum ergo Decretum nos volentes exequi pro Diœcesi Nostra , proponimus vobis sequentes viros , qui munus hoc gerant , quoad altera Synodus habebitur , præter Vicarios Nostros in Pontificalibus & Spiritualibus generales , & Officiale Curia Nostræ Episcopalis , Dominum Ewaldum Marckium SS. Theologæ Licentiatum , Conradum Burenium , Cathedralis Ecclesie Nostræ Pastorem , & ad sanctum Ioannem Osnabrigi Canonicum , ac Patrem Reinerum Duister SS. Theologæ Licentiatum , Priorem Dominicanorum .

Interrogabat Illustrissimus proinde Clerum : Placentne vobis ?

Respondit Clerus : Placet .

Secretarius mox ex Cathedra legit hæc verba : Accedant ergo omnes & lingui , ut solituum Examinatorum præstent juramentum .

Accesserunt singuli , & juramentum , juxta formulam sequentem , ratiis sacrosanctis Euangelis , præstiterunt .

FORMULA IVRISIVRANDI ,
ab Examinatoribus præstili .

Ego N.N. Examinatoris Officium , quod suscepit , promitto , spondeo , ac juro , me fideliter & sincere , quantum in me est , executurum . Sic me Deus adjuvet , & hæc sancta Dei Euangelia .

Præstito per Examinateores juramento , Secretarius continuavit lectionem Decretorum .

DECRETUM XLIII.

CVm per hæc tempora plures ex Decanis ruralibus & Camerariis vel vitâ functi sint vel alias mutati , hinc , in singulis Decanatis , sequentes nominamus & ordinamus .

In Decanatu Civitatis Nostræ , Conradum Burenium , Pastorem in Ecclesia Nostra Cathedrali .

Ad Widenbrugensem , Christophorum Strengerum , SS. Theologæ & Medicinæ Doctorem , & Collegiatæ Nostræ , Ecclesiæ ibidem Decanum .

Ad Iburgensem , D. Iacobum Torwarth , Abbatem Iburgensem , & Pastorem in Glaen .

Ad Furstenauensem , Ioannem Ioannis , Pastorem in Batbergen .

Ad Vordensem & Witlacensem , quos conjunctos , ex rationabilibus causis , pro hac